Fragmentarium

placeat deo soli · et tunc reddet ei mores
etiam a patre celesti Ex predictis ergo patet
de duobus operibus primis · quibus reddit mer-
cede celeste pater celestis · que sunt devota oratio
et corporalis afflictio De aliis duobus que
sunt pietas et compassio et inimicorum dilectio
patebit in sermone sequenti Rogemus do-
minum ut det nobis gratiam ita levandi
cor nostrum cum cor nostrum per orationem devotam
et deprimendi corpus nostrum per ieiunium
et penitentiam · ut nos possimus per hec et alia
bona opera adipisci hereditatem eternam

Pater noster et cetera In ser- Dominica
mone precedenti diximus · quod
quatuor sunt opera pro quibus red-
ditur nobis a patre celesti merces eterna
Et diximus de duobus primis que sunt de-
a. vota oratio et corporalis afflictio Ter-
tium opus est pietas et compassio que in-
telligitur nomine elemosine in euangelio
beati mathei · cum dominus dicit Cum facis e-
lemosinam noli tuba canere ante te
sicut ypocrite faciunt ut videantur
ab hominibus · Amen dico vobis receperunt
mercedem suam Te autem faciente elemo-
sinam nesciat sinistra tua quod faciat
dextera tua · ut sit elemosina tua in
abscondito · et pater tuus qui videt in abscon-
dito retribuet tibi Cum facis inquit
elemosinam · Nota quod hic nomine elemo-
sine intelligitur omne opus misericordie sive
corporale sive spirituale quod quis pro deo impendit
proximo Corporalia opera misericordie sunt esu-
rientes pascere · sitientes potare · nu-
dos vestire · peregrinos hospitare · infirmos
visitare et confortare · captivos et incar-
ceratos redimere · mortuos sepelire ·
b. In hiis autem consistit corporalis elemo-
sina · de qua thobias senior dicebat
filio suo Ex substantia tua fac ele-
mosinam et noli avertere faciem tuam ab ullo
paupere Ita enim fiet ut nec avertatur a te
facies domini Si multum tibi fuerit habun-
danter tribue · si autem exiguum etiam
illud exiguum libenter impertiri stude
Et tangit in hac auctoritate de quo
debet fieri elemosina · cum dicit ex substantia tua
non de aliena Est enim contra raptores et de-
sinarios qui faciunt oblaciones et elemo-
sinas de alieno Et quantum placeant deo
ostendit sapiens qui dicit Qui offert sacri-
ficium de substantia pauperis · sicut qui
victimat filium in conspectu patris · Se-
cundo ostendit cui debet fieri elemosina cum
dicit Et ne avertas faciem tuam ab ullo
paupere Pauperi enim et non diviti debet
elemosina fieri Et hoc est contra illos
qui multa expendunt in dando divitibus
et amicis carnalibus propter gloriam mundi
et pauca dant pauperibus propter gloriam dei ·
Contra quos dicit dominus in euangelio beati luce
Cum facis prandium aut cenam noli vo-
care amicos tuos neque fratres tuos ·
neque cognatos tuos · neque vicinos
divites · ne forte et ipsi te reinvitent
et fiat tibi retributio · Sed cum facis
convivium voca pauperes debiles clau-
dos cecos · et beatus eris quia non habent
retribuere tibi · retribuetur enim tibi in
resurrectione iustorum Tercio tangit
propter quid debet fieri elemosina cum dicit
Ita enim fiet ut nec a te avertatur
facies domini · Quasi diceret Si non avertis
faciem tuam a paupere · sed misericorditer
subvenis ei · dominus in die iudicii non a-
vertet faciem suam a te sed miserebitur
tibi Et hoc est quod dicitur in euangelio beati mathei ·
Beati inquit misericordes quoniam ipsi misericordiam
consequentur Quarto tangit quomodo debet fieri
elemosina cum dicit apostolus · Voluntas si
id quod homo desiderat accepta est
non secundum id quod non habet deus enim non

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 9v – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69215)